



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

LI. VWilhelmus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

uorum Eystettenſium non intercideret, ſed ſemper recens & quaſi vegeta ad poſteros transmitteretur.

## LI. Wilhelmus.

Ex nobili familia de Reichennau, Decretorum Doctor, antea Eccleſiæ Eystettenſis Canonicus & Propoſitus, electus in Episcopum XVI. die Ianuarij anno ſalutis M. CCCC. LXIV. Et à Pio II. Pontifice Max. confirmatus. Regalia accepit à Friderico III. Imp. Neustadij in Austria, cui charus & perquam acceptus erat, ſæpiusque in Comitibus & conuentibus Imperij, vices Imperatoris geſſit; à quo, vt & à Maximiliano filio, poſtea patris in Imperio ſucceſſore, varia priuilegia & immunitates pro Eccleſia Eystettenſi obtinuit.

Sub hoc Episcopo conditum eſt ſanctimonialium Monasterium *Marienstein*, (Mariæ Lapis) inter Eychſtadium & Rebdorffum; & aliud eiufdem ſexus Mariæburg prope oppidum Arnbergam, vtriuſque ſtructuram & prouentus non parum ſua liberalitate iuuit ac promouit. Feſtum præſentationis Deiparæ Virginis in Eccleſia cathedrali perque totam ſuam diœceſin celebrari iuſſit. Reliquias vel aliquid de Reliquiis S. Willibaldi, S. Walpurgæ, & S. Richardi vnâ cum *Legendis, Officiis ac Reſponſoriis in Notis*, Regi Angliæ (qui vel Richardus III. vel Henricus VII. erat) tranſmiſit, Cuiſacra iſta munera gratiſſima acciderunt; moxque in honorem iſtorum Cælitum diem feſtum indixit. Landiſhutæ cum Imperatore Friderico, multisque aliis tã Eccleſiaſticis, quàm politicis principibus nuptias Ducis Bauariæ Georgij cohoneſtauit, vt ſcribit Andreas Ratiſbonenſis in Chronico anno M. CCCC. LXXV.

LXXV Facultates & reditus Episcopatus egregiè au-  
xit, arcesq; & ciuitates communiit, seditq; XXXIII.  
annos, duos menses & vnum diem. Excessit hinc an-  
no M. CCCC. XCVI. XV. Kalend. Decembris, se-  
pultus in choro S. Willibaldi cum septuaginta circi-  
ter annos vitæ expleisset. Tumulo hoc Epitaphium  
adscriptum legitur.

*Wilhelmo Episcopo Eystettensi, viro omnium virtutum  
genere ornatissimo, quem ob singularem fidem atque pruden-  
tiam, Fridericus Caesar, & Maximilianus Rex, non modò in  
consilium de maximis Imperij rebus precipuum asciuerunt,  
sed etiam legatum, alter ad Matthiam Hunnorum, alter ad  
Carolus Gallorum reges miserunt: Maximilianus etiam post  
Friderici patris obitum, parentis loco in summis rebus habuit,  
& verbis compellare consuevit: Vixit in Episcopatu annis tri-  
ginta tribus. Moritur in Messing, anno Domini M. CCCC.  
XCIV. XIV. Kal. Decembris.*

*Magnam si qua viro tribuit sapientia laudens,*

*Hic summo praesul dignus honore iacet.*

*Cui nihil obiciunt inimici praeter honestum*

*Crimen: quod Regi & Caesari amicus erat.*

Fuit hic Wilhelmus Academiae Ingolstadiensis primus  
Cancellarius, & cum anno salutis M. CCCC. LXXII.  
Academia à fundatore suo Ludouico, solenni more  
initaretur & propalaretur, adfuit idem Episcopus  
cum Episcopis Frisingensi, Augustano & Ratisbonen-  
si, Regisque Hungarici Matthiae Legato.

Auctoritate & approbatione Wilhelmi typis ex-  
cusa sunt Decreta nonnulla synodorum Eystetten-  
sium, quas tam ipse Wilhelmus, quam Antecessores  
eius celebrauerant, additis etiam Constitutionibus  
synodalibus Moguntinis, quas ex variis Moguntinis

V u

Conci-

Conciliis desumptas Petrus Archiepiscopus Moguntinus vnum in librum collegerat & congesserat; ne illis quidem omissis, quas Theodoricus Archiepiscopus anno M. CCCC. LI. in Concilio quodam promulgarat. Petierat Matthias Walcker Reutlingensis Typographus à Wilhelmo Episcopo Codicem statutorum Eystettensium: cui Wilhelmus hoc Epistolio respondit. *Dei gratia VVilhelmus, Episcopus Eystettensis fidei nostro dilecto Matthia VValcker de Reutlingen, salutem. Statutorum nostrorum synodaliū ac prouincialium volumina, qua à nobis summis precibus petis, ipsa itaque optata accipe: & accepta sedulo custodi: cum q̄ illorum opera vsus fueris, nobis fideliter remittere cures. Data in castro nostro Montis S. VVillibaldi die XX. Mensis Martij anno à Natiuitate Christi M. CCCC. LXXXIV.*

Sub hoc Episcopo natus est Eychstadij anno salutis M. CCCC. LXX. Willibaldus Pirckheimer, patre Ioanne Pirckheimero, I. V. Doctore, & Episcopi Eychstadiani Consiliario. Felix fuisset Willibaldus si in eius, cuius nomen ferebat, vestigiis permanens, Luthero & Lutherani verbi declamatoribus aures occlusisset; nec ab Euangelio, quo ipse natu maior erat, miserabiliter sese abduci permisisset: acer quidem hostis Sacramentariorum, vt testantur scripta eius in Ioannem Oecolampadium. Sed quid prodest odisse vnum Diabolum, si te alteri penitus & mordicus addicas? Id Willibaldo huic euenit; dum spreto Zvinglio & Oecolampadio, totum se Luthero tradidit. De quo Rittershusius in vita Willibaldi. *Cum adoleuisset Willibaldus à patre aula Eystadiensis Episcopi mancipatus fuit, non solum vt aulicorum cognosceret mores, sed etiam vt in militia & artibus bellicis se exerceret; eò enim natura*

naturâ quodammodo ferebatur. Accidit eo tempore, ut Episcopus ille, à quamplurimis urgeretur hostibus, qui latrocinando, & predae agendo improvisas potius, quàm iustum ac indictum bellum inferendo provinciam ipsius quotidianis incursionibus infestarent & deuastarent. Ibi se Bilibaldus equestris militia per biennium ita exercuit, ut non minus apud hostes cognitus, quàm Episcopo, Domino suo, charus & acceptus esset: nullo enim se defatigari labore permittebat, non vigiliis non inedia, nullum declinabat onus, nullum periculum: sed quidquid iniungeretur, alacriter suscipiebat, & strenuè obibat, ea quoque à quibus alij difficultate deterriti, refugiebant. Quae tamen in re ita se gerebat, ut nihil temerè, nihil inconsideratè, sed omnia circumspectè, & maturo consilio ageret atque perficeret. Unde fiebat, ut tam praefectis, quàm gregariis militibus acceptus esset. Verùm hæc Martia Bilibaldi facinora fortè ad successorem Wilhelmi pertinent, cui cum perditis Episcopatus in uasoribus diuturnum certamen fuit.

Interfuit Wilhelmus conuentui, quando Carolus Dux Burgundiæ cum Friderico III. Imp. Treuiris congressus est; teste Meiero in Annalibus Flandricis.

## LII. Gabriel.

Res gestas vel potius epitomen rerum gestarum huius Antistitis transferam huc verbatim ex Appēdice ad Gundackarum, nam qui scripsit, quisquis fuit, haud ineleganter scripsit.

Reuerendus pater & Dominus Gabriel, D. G. Episcopus Eystettensis LII. ex celebri Equitum de Eyb familia, quæ antea Ecclesiastica dignitate & doctrina præstantes plures, cum primis verò Albertum huius patruelem Iuris utriusque Consultum & Operis, cui Margarita Poëtica nomen est, aucto-

Vu 2.

rens.